

vectus equo spumante Saeces, adversa sagitta
 saucius ora, ruitque inplorans nomine Turnum:
 'Turne in te suprema salus, miserere tuorum.
 fulminat Aeneas armis summasque minatur
 deiecturum arces Italum excidioque daturum; 655
 iamque faeces ad tecta volant. in te ora Latini,
 in te oculos referunt; mussat rex ipse Latinus,
 quos generos vocet aut quae sese ad foedera flectat.
 praeterea regina tui fidissima dextra
 occidit ipsa sua lucemque exterrita fugit. 660
 soli pro portis Messapus et acer Atinas
 sustentant acies. circum hos utrimque phalanges
 stant densae, strictisque seges mucronibus horret
 ferrea: tu currum deserto in gramine versas.'
 obstupuit varia confusus imagine rerum 665
 Turnus et obtutu tacito stetit; aestuat ingens
 uno in corde pudor mixtoque insania luctu
 et furiis agitatus amor et conscia virtus.
 ut primum discussae umbrae et lux reddita menti,
 ardentis oculorum orbis ad moenia torsit 670
 turbidus eque rotis magnam respexit ad urbem.
 Ecce autem, flammis inter tabulata volutus,
 ad caelum undabat vertex turrimque tenebat,
 turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse
 subdideratque rotas pontisque instraverat altos. 675
 'iam iam fata soror superant; absiste morari;
 quo deus et quo dura vocat Fortuna, sequamur.
 stat conferre manum Aeneae, stat quidquid acerbi est
 morte pati; neque me indecorem germana videbis
 amplius. hunc oro sine me furere ante furorem.' 680
 dixit et e curru saltum dedit ocius arvis
 perque hostis, per tela ruit maestamque sororem
 deserit ac rapido cursu media agmina rumpit.
 ac veluti montis saxum de vertice praeceps
 cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber 685
 proluit aut annis solvit sublapsa vetustas;
 fertur in abruptum magno mons improbus actu
 exsultatque solo, silvas armenta virosque